

DANIÆ IV TABVLA.

125

Tasfinga five *Tosfinga*, inter multas alias Insulas, prope Opidum Fionie *Svvinburgum*, præcipua, milliaria in lō-
 giudine habens, in qua præter aliquot parochias, curia est *Ketrop*, ad Rosenkransios & Rantzovios spectans.
 Ex hac Insula, ab Opido Ascens, in Iutiam duo sunt milliaria, ex Niburgo in Zelandiam quatuor milliaria per
 mare Balthicum trajectus, alioqui admodum periculosus, præsertim mari procellis exagitato. Nam cum Orien-
 talis pelagi unda, ex tot fluminibus jugiter illabentibus aucta, inter tam multas Insulas exitum quærens, in mo-
 dum torrentis, velocissimo cursu protrudatur, facile contingit, ut ventis a diversa parte obluantibus, fluctus
 in imensum attollatur: Nautæque undarum ambiguis vorticibus, periculose implicentur, unde multi in hoc
 trajectu absorpti feruntur. *Aroe*, in aditu Slesvicensis Ducatus sita, ubi in Fioniam per Arsensem live Ottensem
 sinum, ad Opidum Ascens, traicitur. Quatuor est distinctis habitata pagis. Sunt & Insulæ *Romsø*, *Endelo*, *Ebelo*,
Fenno, *Boko*, *Brando*, *Toroe*, *Aggernis*, *Hellenis*, *Iordo*, *Birckholm*, etc. Hæc de Fionia Insulisq; circumjacentibus di-
 sta sufficient. Quibus hoc loco potius quam nunquam descriptionem Insulæ *Huena* in celebri Porthmo Regni
 Daniæ quem vulgo *Oersund* vocant, sitæ, Coronidis quasi loco libet adjicere: in qua Arx *Vraniburgum* dicta,
 quamplurimis, varia exactaque ratione, elaboratis Machinis Astronomicis referta. Hujus Insulæ medium ubi
 Arx ipsa consistit, elevationem Poli quinquaginta quinque, & cum dimidio graduum obtinet & ab Occasu re-
 movetur partibus 37 fere. Habet autem in circuitu 8160 passus majores, quorum quilibet 5 pedum assumitur,
 unde duo quasi milliaria Germanica mediocria in ambitu adæquat. Quæ, cum in celeberrimo totius Regni
 freto, per quod quamplurimæ naves ab Orientali in Occidentale mare, & vice versa iucundo prospectu tran-
 seunt, constituitur, quædam etiam huius Regni præcipua Opida in propinquo circuitu prospicit. In Zelandia
 Hafniam versus Libonotum tribus milliariibus distantem, Helsingoram, ubi naves prætereuntes solvant vecti-
 galia, & Arcem Croneburgum versus Circium duobus milliariibus. Totidem etiam Helsingburgum in Septen-
 trionem, idque in Scania littore distat, in quo etiam Landiskronia, unico saltem milliari distita. Versus furum
 patet Lunda, quæ licet maritima non sit, tamen hinc spectatur versus Meseurum distantia 4 milliaria. Malmo-
 gia vero Vpophanicem respicit, remota milliariibus quinque. Licet vero non admodum magna sit, nulla tamen e-
 ius pars ociosa & sterilis existit, estque ferax Frugum, & lumentis abundat, alit Damas, Lepores, Cuniculos &
 Perdices magna copia, ac piscaturæ apprime oportuna est. Silvulam habet ex Corylis, ubi nulla Nucum ver-
 miculis unquam infecta visa est, ut neque Glires hæc terra patitur. Olim quatuor Arcibus insignis erat, quarum
 nomina adhuc recensentur: *Synderburga*, quæ versus Meridionale littus sita erat, quemadmodum *Norbürga* op-
 positas partes circa Boream obtinebat. *Karhecidia* vero Ortum hyemalem, veluti *Hamera* æstivum respiciebat.
 Harum quatuor Arcium fundamenta adhuc conspiciuntur, sed rudera nulla sunt residua. Licet vero Insula hæc
 admodum alte inter marinam falsedinem exsurgat, rivulos tamen & fontes aquæ dulcis non paucos habet. Est
 que inter alios fons, qui nulla unquam hiberni frigoris vehementia congelatur, quod alias in his Regionibus
 rarissimum.

Tosfinga
Situs.

Mare

Aroe.
Situs.

Huena.

Situs

Soli fertilitas.
Animalium
varietas.

Q in

Coru siana